

bonensi leguntur '*taurea appellatur*' quin ex 'Servii' plenioris scholiis (Aen. II 140 '*quae sterilis autem est, taurea appellatur, unde ludi Taurei dicti*') hausta sint, nullo modo dubito, praesertim cum forma quae est *taurea* ex eis *quae secuntur* (*ludi Taurei*) corrupta illud '*appellatur*' pro '*appellata*' secum videatur traxisse. His exemplis pauculas quasdam lectiones similis prosapiae, quas modo ex vetusto aliquo fonte modo ex coniectura facili quamquam interdum incerta vel etiam falsa esse novatas putaveris, ut est illud '*ciliciis*' (II 11, 12) pro '*Cilicas*', addi posse concedo: *quae tamen cur a codice quasi gemello Marciani repetantur*, ne *umbram* quidem necessitatis esse existimo. Ut igitur summam eorum *quae* ex collationis labore et molestia didicerim complectar, Henrico Schoerl vestigia Schneideri assiduo sed parum fructuoso studio secuto ut iudicium et planum et sanum Keilii, viri in similibus *quaestionibus* versatissimi, subverteret nullo modo contigisse mihi persuasi. Quod ita esse quamvis penitus perspexisse mihi videar, ut etiam aliis potestatem iudicandi faciam, quaecumque ille e thesauro suo mira interdum usus ratiocinatione protulit, excerptis meis (§ 5) addenda vel saltem paginarum *commentationis numeris adscriptis* conferenda esse censui.

Simili modo his ipsis annis ingens locorum multitudo, quam Petrus de Crescentiis Bononiensis ex Varronis opusculo initio saeculi quarti decimi in libros suos '*Ruralium commodorum*' notissimos transtulit, criticorum animos decepit. Nam cum Henricus Keil in *commentatione Halensi academica anni 1885* ne eius lectionibus in Varronis libris emendandis nimia credulitate abuteremur recte dehortatus esse videatur, Anna Röding, docta Vilelmi Lundström discipula, libello per se laudabili, quo praesertim de genuina forma *Ruralium commodorum* ex editionibus et codicibus recuperanda optimo successu disputavit ('*Studier till Petrus de Crescentiis och hans antika källor*' ed. Gotoburgi a. 1927), ad nimiam illorum testimoniorum aestimationem rediit. Quae si demonstrare studet, Crescentium exemplari usum esse, quod non magis ad codicem S. Marci revocari possit quam